

LA NUEVA TRAMITACION DE LA DISPENSA DEL CELIBATO SACERDOTAL

I

TEXTO DE LOS DOCUMENTOS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

De modo procedendi in examine et resolutione petitionum quae dispensationem a caelibatu respiciunt *

OMNIBUS LOCORUM ORDINARIIS
ET MODERATORIBUS GENERALIBUS
RELIGIONUM CLERICALIUM

1. Per Litteras ad universos Ecclesiae sacerdotes datas in feria V Hebdomadae Sanctae anno 1979, Summus Pontifex Ioannes Paulus II sese referens —ut Ipse aiebat— ad doctrinam a Concilio Vaticano II, deinde a Paulo VI in Encyclicis Litteris *Sacerdotalis caelibatus* ac postremo a Synodo Episcoporum anno 1971 pertractatam, rursus clara in luce posuit quanta in aestimatione habendus sit caelibatus sacerdotalis in Ecclesia Latina.

Agitur de re magni momenti —Beatissimus Pater commonet— quae peculiari vinculo coniungitur cum Evangelii sermone. Exemplum Christi Domini secuta et secundum apostolicam doctrinam Traditionemque sibi propriam, Ecclesia Latina voluit etiamque nunc vult ut omnes illi qui Ordinis recipiunt sacramentum, amplectantur hanc renuntiationem non solum ut signum eschatologicum, sed etiam ut “signum alicuius libertatis quae vicissim ad ministerium destinatur”.

Animadvertit enim Summus Pontifex: “quilibet Christianus, Ordinis recepturus sacramentum, officio sese caelibatus obstringit plena quidem cum conscientia ac libertate, postquam plurium annorum praeparationem absolvit in eamque rem deliberationem accuratam et precem plurimam contulit. Tunc solum inchoat consilium vitae in caelibatu ducendae, cum firmiter sibi persuasit Christum sibi *donum* illud concedere ad totius Ecclesiae emolumentum aliorumque famulatum... Perspicuum hinc est consilium sic captum iam obligare non tantum ob aliquam legem ab Ecclesia latam, sed etiam ex ipsa conscientia officiorum nominatim ab homine susceptorum. Interest propterea ut stetur datis Christo atque Ecclesiae promissis”. Tandem christifideles matrimonio iusto iure a sacerdotibus expectant —addit Sanctitas Sua— “exemplum bonum ac testimonium fidelitatis erga vocationem usque ad mortem”.

* AAS 72 (1980) 1132-1137.